...islaus

...eopol.

Leopoliensis Coll. Soc. Jesu Agnus ter magn...

AGNVS TER MAGNVS

In triplices lætitiæ fastos
NOBILITATIS, CLERI, VRBIS,
Relatus,
ET
ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO A GROCHOWCE GROCHOWSKI,

ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI,
Recens inaugurato;

Cùm primùm suam Sedem ingrederetur
A
NOBILI IVVENTVTE COLLEGII LEOPOLIENSIS SOCIETATIS IESV
Debitæ Gratulationis Studio
DEDICATVS.

CRAC. *In Offic: Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr. A. D. 1634.*

IN STEMMA.



Et rubei paſſu colles, & honora nitorem
Purpura diſtinxit deſuper, AGNE, *Tuum.*
Addubites non hæc Virtutum Sceptra Tuarum
Et generis famam talibus ire vijs,
Amplius j meritis cœlo, non ſufficit iſtis
Patria, maiores Tu mereare thronos.

AD
ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM,
D. STANISLAVM GROCHOWSKI,
Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
ARCHIEPISCOPVM LEOPOLIENSEM,
Abbatiæ Sieciechouienſis perpetuum
ADMINISTRATOREM,
Operis Dedicatio.

PVblicam inter gratulantis pompæ lætitiam, Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine, cùm nouos quiſq; venienti huc primum Tibi adornaret plauſus, religioſarum quoq; fuit mentium, & debitus popoſcit noſtri in Te affectus Collegij, paribus vbiq; grati animi officijs Tuum in nos fauorem voluiſſe demereri. Nec enim æquum cenſuiſſet non nemo, tanto omnium ex Tuo ingreſſu gaudio, & vniuerſa propè in Te vnum effuſa Polonia, videri vſpiam in hac Ruſſiæ Metropoli, quo cumulatus Tuæ Purpuræ ſplendor nondum ſatis oculos atq; ora gratantium ſibi adſciuerit æmulorum. Tanto ampliùs obſtrictam antè Palladem queri poſſet, quod cùm plurimis, qua innatæ menti prudentiæ quaq; alijs teſtatæ ſemper clientelæ meritis, addixeris eam Tuis pro Patria obſequijs, debitæ nunc eius in Te grati-

titudini, & euectæ simul per amplissima honorum virtuti, non ex æquo respondeat. In quo ambiguam quoque reddit Tuæ maiestatis amplitudo; dubium enim fecisti Tuo hic obtutu, vtri potius respondendum sit, Tibinè? quod ampliores fastorum & virtutis fasces amplissimæ GROCHOVIORVM adcensueris nunc ipse Familiæ; an Purpuræ? Tuorum ex Te meritorum accessu diuinitùs illi oblato. Non Tibi; minimum enim fecisti semper, ex honoribus & luce hominum venari fortunam, cui propriâ in virtute posita est felicitas, & tanto magis meruisti nunc vt præesses, quanto præ cæteris tot inter laborum moles arduas proprium Tuæ stirpi fuit rogatos nonnisi Viros ad pedum & purpuras ex ea succedere consueuisse. Nimirum satura iam gloriæ honorumque in vobis ætas est posterior AGNI Vestri, quam per Tua Tuique Germani amplissima in Legationibus & Infulis merita, longis posteriorum pari serie ordinibus annumerauit. Ita totum ex Te splendorem ipse sibi honor vendicat: & non tam Tuum Tibi demeritum, quam propriam sibi ipsi fortunam hoc auspicio gratatur. Litem huius applausu decidet vtrique triplex respondentium ordo Nobilitatis, Cleri, & Vrbis: nec enim tam honorem Tibi, quam eam ipsi in Te honori gratulabitur fortunam, quæ nunc recenti hoc ex Te gloriæ augmento illi accessit. Accipe Tuorum in Te studia iustæ loco obseruantiæ, & huius in Te obsequium Collegij paterno semper, quo soles, affectu complectere.

NOBILITAS RVSSIÆ NOVO ILLVSTRISSIMI HONORI LEONEM INTER TROPHÆA SVBMITTIT.

Prima venienti præit Tibi Nobilitas, ILLVSTRISSIME ANTISTES, *auſpex ipſa honoris in Tuis honorum facta auſpicijs. Præuiam alijs ne mirere; quam antè auitus generis & gloriæ ſanguis in Tuo natalium præiuit ſplendore. Stirpis hoc vel in Te vno penſum erat; virtutis illud & meriti recens Tibi ſupplex honor ſuum fecit nunc tributum. Hoc demum Tui præmium eſt meriti, eos primùm honoris videre gratatores, quos antè vicina ſanguinis gloria æmulos nonnunquam habuit aſſertores. Quidni? aſſeruit eoſdem ipſa, & in luce omnium aſſertos repoſuit, quoties Tui Generis tot Patriæ fidos Ciues, & ſi malis glorioſos libertatis vel generis athletas pro aris, proq; maiorum focis, in proprio illuſtres ſanguine certauit, & coëgit rubuiſſe. Prodit hoc gentilitius* AGNI *Tui rubor, in quo dubia multis & ſuperba ſors Bellonæ, & Ciuium in ea ſeruata ſæpè ſalus vni illi ſeipſam captiuauit ſubſtrata. Ita in* AGNO *Leonis dudum generoſam Patria ſuſpexit potentiam, in Leone breùi ſuos* AGNO, *& virtuti debitos penſatura, pòſt & honores & triumphos. Lætus iam & ſoſpes, ô* AGNE, *quos ſubis, cape faſces: Hi Tui triumphi ſunt, quos maiorum in Te ſplendor, & generi pro virtute par libertas, Tuis pedibus aduoluit. Honoris hìc non liuoris theatra, nec Leo iam, ſed* AGNVS *in Leone, ſcenam obit & regit vicariam; hoc Leonis pompâ factus dignior, quo illius antè virtuti propior & generoſior conceſſit. Quin imò vterq; in fortunam vnius pari iam coit fide: nec enim Leoni quàm* AGNO *maior ex Te felicitas eſt. Agnoſcit ſuam Leo, quam ad Tuos ſupplex Tuiq; Agni pedes ſuis peperit decoribus. Eam nunc Te auſpice cùm inter triumphos trophæis Tuis appendit Nobilitas, lubens ex ea Tuam veriùs & generis & ſanguinis maieſtatem & ſuſpice, & gratare Tibi beneuolus.*

SINE MOLEM HONORI ET VIAM
LEO MAGNANIME
Sospes graditur per triumphos
TVI VICTOR ET TROPHÆVM
AGNVS GROCHOVII.
Quem amoris inter gregem
Captiua sponte propriâ Nobilitas
Vincere priùs dedit, quam obtulit præsentem
FELIX VICTORIA.
In qua non bellicum canit Leo,
ET VICTOR ANIMORVM AGNVS
Portat in Leone amoris exuuias.
VICISTI OPTATISSIME ANTISTES
ANIMOS LEONVM BELLACES
IN TVI PROSTRATOS OCCVRSV.
Hoc demum vincere est,
Et supplicem Agno Libertatem
Amore ac Fauore
Captiuatam duci prædam.
TVVM HOC
Et vni proprium Agno Tuo debet Leopolis.
CORPORA LEONVM IMO ET ANIMOS
AFFECTV IAM CAPTIVASTI.

 INGRE-

INGREDERE ANIMORVM VICTOR
PER TRIVMPHOS AD INFVLAS,
VEL SI LVBET
Per Leones ad ardui pedum throni
Sanguinis hoc & meriti gradu:
SVPPLEX VIRTVTI HONOR TIBI MILITAT.
INGREDERE PRÆSVLVM DESIDERATISSIME,
CVI SOLIVM ET TIARAM
PRÆMIVM NON FORTVNAM VIRTVS TVLIT;
Capeſſe faſces & Agni tubam
Quam Leones, quò iuſſeris, ſequentur.
His Tu & vnus & ſolus
Dignus legi meruiſti fato
Qui volentibus & quærentibus præeſſes.
ITA NOVVM ET OPTIMVM
TIBI VNI NVNC CONTINGIT PASTORI
LEONIBVS AGNVM IMPERARE.
Quidni imperes?
Quibus vincula iam ante liberis
Captiuus ipſe poſuiſti.
VTRVMQVE TVVM EST,
ET VINXISTI VINCI NESCIOS,
ET IMPERAS LEONIBVS,
DVCE AGNO.

O CÆ-

O CÆLESTEM AGNVM,
Cuius candor tantùm abeſt vt terreat
Quantùm animos manſuefacit Leonum.
I victorum orbe gemino beatiſſime.
TVIS IAM TROPHÆIS
ET CÆLVM THOLOS FIGIT
Spolia de Leone
Amoris & fauoris appendens.
I PATRIÆ MAIESTAS ET GENERIS,
PRÆ CVIVS OBTVTV VIRTVTI ET SANGVINI
Purpura vltrò non rogata
ACCEPIT VERIVS QVAM OBTVLIT HONOREM
IN TE NVNC AVORVM ET NEPOTVM
Cenſa gloriæ iam dudum poſteritas
FASTOS NVMERAVIT COMPLETOS.
O AGNE CÆLITIBVS ET POLONIÆ
Deſtinatum fato ſidus,
Non merita te ampliùs condigna ſufficiunt.
Vnius quod ſciamus Tui trophæa
Et polo cælantur, & in Patrio cælo
Leonibus incumbunt.

VOTVM
NOVO RVSSIÆ PRIMATI.

NOn bellicoſos ire per ordines
Lunata peltis agmina Martijs
Iuuat Quirites; nec ſonorum
Vt lituo crepet aura, murmur

Audire campis. Fulmineo licet
Pangæa vindex detonet impetu
Contra Gelonus; vt recenti
Sarmatiam decumaret ira.

Nihil curules inter adoreas
Dolonè frangi debuit hoſtico,
Nec purpuratos inter axes
Vulnificum potuit pluiſſe

Bellona nimbum. Macte Polonia;
Miteſcet Agno Rußia Præſule
Vel ampliùs condicet armis
Talibus auſpicijs, Leones.

Quidni? Secures quo ſuper æmulas,
Et colla ponunt ardua debiti
Fato Leones; Ciuiumq;
Iura ſuis moderanda ſceptris.

Et miles armos iam magis expedit,
Equesq́ longo septus agemate
Hoc omine audaces Gradiuo
Scuta manus galeasq́ voluunt.

I, pone fasces Agne Leonibus,
Hos ante supplex debuerat tibi
Virtus, honori digna tanto
Ampliùs & generi præesse.

Subesse malis, an super obuios
Rerum tumultus consilio? fuit
Vtrumq́ stirpis hoc tuorum,
Cum gemino Latium susurro

Emensa latè, latiùs Italas
Compleret auras fama GROCHOVII
Et post Lucenses cum Tiaras
Acciduo famulata nixu

Deberet olli. Sic generi vicem
Sortiq́ pensum, propria sufficit
Fortuna, Præsul vt supremum
Ipse pedum meriturus ires.

Capesse fasces, i, licèt horridum
Fremat Satelles Bistona, lenior
Aut tela ponet, vel proteruis
Busta feret pudefactus armis.

CLERVS RVSSIÆ
EIDEM
ILLVSTRISSIMO
VIRTVTVM LAVROS
NECTIT.

NEc iniquior in te Clerus, & propria virtutum prædicatio. Nimirum his ante sanguinis inter & generis pompam legisti comites, atque socios laborum. Ipsa hæc Pontificij Tui pedi Maiestas iam hodie Tuorum in Te rectè factorum toti Sarmatiæ theatrum stetit. Nec enim obscura omnes videndi Tui & habendi cupido hinc incessit. Dudum Patria suspexit Te Virum, & coluit, vt in quo Regni fortunas, pacisq; ornamenta, consilium, & impensas reposuit. Nec verò subesse tantis minimò Tibi fuit ad laudis atque gloriæ adultam messem; nisi quod priuatas vmbræ latebras, multis aleres incognitus. Luci nunc & Russiæ commodaris è puluere virtutum & Russiæ splendor. Tuo hic obtutu errores ac schismata vel lippient magis perculsa, vel lucem à sole pridem Vrbi cupitam ex Te recipient. Ominari hæc Tuus iubet zelus, & ardens in Religionem pietas, quæ nunquam vnius aulæ passa est includi angustijs, quin aliò prorumperet semper, atque alios accenderet, ac adulta cælo flamma. Nimirum quà Te locorum tenuit vnquam aut rapuit vicinitas, potior tibi neutiquam fuit auri fames, quam Patriæ amor & focorum. In his honori metam denotasti Tuo & labori, cùm quæ vbiq; faceres, aris ac Patriæ deberi omnia, pro his & hæc super cuncta sanguinis atque opum impendia; Polonum esse, vt parata forent, docuisti. Ita gloriosum AGNI Tui candorem geminus distinxit nitor, virtutum & generis, in focos atq; Patriam deuota semper nobilitas. Huic purpuram & honores fuisse dudum debitos, vel Te nolente, totius fatum Russiæ orabat. Quibus hodie Te repositum lætantur iam vniuersi, & publicos inter gaudiorum plausus, nouas pomparum scenas atque ludos, pro se quisque instruit Tibi adornatq;. Sed nec præ alijs noster in Te gratator iniurius; tænias ille ad trophæa pro Tuo AGNO victrices nectit, quæ si meritis & virtuti Tuæ non satis pares fuerint, habuisse eas spectaculo, non iniquus in nos arbiter iudicabis. Lætus interim gratatrices subi lauros, & quibus eas procudimus porphyritis vtrisq;, Pontificius hic Tui vultus fauor illucescat.

Tæniæ

Tæniæ

Factorum lauros
Tibi colligũt & explicãt
GLORIOSISSIME ANTISTES.
HIS VIRTVTVM TVARVM ORBES
Quos Patria & Deus conclusit
IN SE NONNISI DESINENTES.
ID NOBILIVM EST ET POLONORVM
PRO ARIS ET FOCIS DEVOVERI,
NEC VLLA MAIOR PRÆSVLIBVS LIBERTAS
QVAM MAIORVM FIDEM POSSE TVTO DEFENDERE.
Stetisti his impensâ & consilio
Quæ Ciuem decebant:
Non enim duxisti ampliùs
Templorũ tutelâ & Sacrorum.
Nec honestiùs quidquam
Cùm zelus posceret,
Quam vt sanguinem
Deo & virtuti
Donares.

Nec minor
In Patriã tibi feruor
HÆC EORVM VNA EST FELICITAS
QVI ARAS PROPVGNANT,
VT INCENSO PATRIÆ FERANTVR STVDIO.
Partem illi deberi ex Te, ac amicis;
Velles quoties, potuiſti; vt probares.
ET OPIBVS, ET OBSEQVIIS, ET VIRTVTE
Ita nihil inuium Tibi ſepoſuit
Sanguis Sarmaticus pro Patriæ libertate.
MVLTVM ALIIS FVIT PRO PATRIA MORI,
Tibi ob eã viuere ſemper eſt maximũ.
Adeò & naturæ obliuiſceris!
Vt Patriam haberes tecum.
Et mortẽ cõtemnis non vt viueres;
Quam vt eam ſeruares diutiùs.
Hic ſtitiſti Patriæ zelator
In quo perfectus amor eſt
Generis & nominis
Poloniæ.

Pullulant
Hæ lauri ampliùs
TVA VIRTVTVM SEMENTE
ANTISTES OPTIME,
Nescivit vnquam parcitatem manus,
In pauperes & cænobia profusio
ABBATIS GROCHOVII
Ex asse vt iam fecerit hæredes sui.
Nec pluribus cares huic æmulis.
ID PROPRIVM VERÆ VIRTVTIS EST,
PLVRES IN VNIVS NEXV CONCATENARI.
Et Iustitiæ tenacitas
Tuæ militat clementiæ,
Et menti prudentia.
His in Te decoribus
Debuit pedum Russia
Et animos Leopolis.
Iis iam impera
Quâ soles & potes
Efficacia.

VOTVM

VOTVM
PASTORI
VIGILANTISSIMO.

ITe bellaci famulata serto
Gnara victrices aperire lauros
Sceptra, virtutem iubet æmulari
Debita merces.

Et triumphales replicate voces,
Et per auratas veluti quadrigas
Dulce nitratis date lumen vmbris
Auspice tanto.

Qua Trionali per aperta curru
Parrhasis latam moderante loro
Visit Arctois Helices pruinam
Vecta sub oris.

Cœca funestis vtinam latebris
Surgat incertæ bene fida menti
Et fides, & pax, niueoq; tollant
Schismata vultu.

Ampliùs tantis comitata bigis
Ferueant cæcis inimica curis,
Et semel certo stabilita nexu
Fœdera narrent.

Narret

Narret hibernis prope fama terris
Rußicas circùm duce Te tiaras
Ad Tuos fasces posuisse longis
Limina bellis.

Hæc repentina nouus ardor aura,
Vt Tibi sacras legit vrbs secures,
Grata demittit bene feriatis
Omina votis.

Gnarus haud tantæ pietatis index
Iam quatit mentes taciturnus imo,
Ebrias somno vomat vt recenti
Virus ab æstu.

Ite festiui comites triumphi,
Arduæ cælo super astra voces,
Stent catenato sociata secum
Iurgia cælo.

Stet renidenti numerosa laurus
Præsulis voto, duplicet coronas,
Et pedum totos & honora donet
Purpura fastos.

LEOPOLIS
TERNOS LEONIS MONTES
GENTILITIO
ILLVSTRISSIMI
AGNO SVBSTERNIT.

EXtremum ad Te operis depopoſcit ſibi LEOPOLIS, Illuſtriſſime ANTISTES. Paſtorem Te, ſuaq; Patronum vitæ ſupplex inprimis venerata, ſuum id apud eam & proprium duxit incredibilis Tui expectatio, quam per ora, vultusq; omnium, non obſcuris Te abſente fas erat hic legiſſe indicijs. Nimirum adbubites mœroris inter & deſiderij trutinam, cùm extinctam hinc lugeret, & viuam ex Te ſui quæreret maieſtatem; in vno Tui obtutu luctum illicò ſeponi potuiſſe. Nec verò ſtetiſſet magno illi vt ſeponeret ſolùm, niſi noua iuſtæ in Te Lætitiæ, argumenta ad Tuos ſimul pedes prouolui ſecum poſtulaſſet, Quæ verò hæc, aut vnde Tuis prognata obſtrepent triumphis? Nimirum quod ex Te virtutis & honorum nomen in ſe totamq; Ruſſiam amplius manauit: patiare illud in Tuos veræ laudis torrentes reciproco quaſi fluxu iterum relabi. Summam in Te modeſtiam, & veram mentis morumq; demiſſionem ſuſpexêre vniuerſi. Iam enim dubium feciſti, habitusnè maior ad virtutem, an congenita naturæ vis efficacior in Te ſit? Nouis Patriæ perfunctus ſemper obſequijs quoties adeundi Tuis facis copiam, ita omnibus affabilis, & ſic cuiq; par videre, vt tantum abſit Te honoribus extolli, vt magis ipſi per Te honores eleuentur. Adeò commune facis AGNO, & ſanguinis & naturæ generis præſtantiæ inter honores & ardua obliuiſci. Ardua ſunt quæ tantis in ſe Tuis meritis vrbs litat vniuerſa, Gentilitium inſigne ſuum Nobilitas Leonẽ Tuo AGNO ſubſtrauit. Ternos hæc honoris & virtutum thronos in eiusdem Leonis trino montium ſymbolo Tibi erigit. Eos hic non ingratus leges vt Tuos, quibus penſum & ducem feciſti AGNVM. Huic quæq; ardua, imò iam & Leones affectus atque faſces ſubmittunt ſuos.

I

subtus Agno moles ardua.

Honoris, virtutis, & Generis

APEX SARMATICVS.

Non te manus artificis

Nec Dædalum cæli labrũ

His reposuit Leonum sceptris.

PRÆSVLI DEBES GROCHOVIO,

Cui naturam se deberi

Perfecit virtus ac voluit

Candore, modestia, officio.

Istis purpuras & Tiaram

Venales fecit Leo & Polonia

TVI PRETIO ET AGNI TVI

DESIDERATISSIME VRBI PRÆSVL.

Nihil iam in Te beatiùs

Nec auro, nec opibus, nec fortunâ.

Quàm emacem Te pro pedo fuisse.

Hoc demum Præsuleum est

Honorum Sceptra & Infulas

Virtute non sorte venari.

Sic foueris vota omnium ac emisti

Tuum prædem his obsidibus firmabis.

I ampliùs
Per depressos Leonum toros
Moles incuba.
PRIMATEM RVSSIÆ PORTAS
ET ALTERVM POLONIÆ SIDVS
Pollucem ac inter & Castorem.
Aut si malis
Vnũ duos inter oculũ Sarmatiæ.
His Te idem peperit & leuauit
Nomen super, & Leonis fasces
Ad gloriam & virtutem AGNI.
Adeò nec honoribus retrocessit;
Vt Leonẽ præ AGNO plus amaret.
Nec ita purpurã quæsiuit,
Quin AGNVM extẽplò deponeret.
HIC MIHI VERE PRÆSVL
Qui solij Maiestate
Sublimari ampliùs non potest.
Et cui Tiaræ Pontificum
Virtutis debitũ sunt non fortunæ.
HÆC HONORIS TVI DECORA
PRÆSVL AMPLISSIME,
Arduis extolli nõ potuisse.

O AGNE

Iam te nō capit Polonia,
Parē vt haberes thronum.
Minora præ te omnia
Generis, Animorum, & Fasciū,
Quæ meritis donauit.
Amplius virtuti quære solium
CÆLO MAVIS, AN SARMATIA?
Non cælum throni Tui iā nescium,
ET PATRIA BINOS INTER
TE ASTRIS INVIDEBIT.
Nec Poloniæ vixisti satis
Vt gloriam expleres
Qua honorum inopiá Tibi sarcit;
Quot animos obligasti meritis
Tot virtutum testes erunt
Et præcones laudum
LEOPOLIS, RVSSIA, POLONIA,
Quarum insignia cōpleuisti
Nunquam Tuos tacebit fastos.
Nec enim non semper loqui
Potest ac debet Virtutē posteritas
ET LAVDARE.

VOTVM PRÆSVLI DIGNISSIMO.

QVis mente feruor, quæ noua pectoris
Pertentat oëstrum flamma, per intimos
Accensa luctus? vt serenum
Sole super simulet recenti.

Tuburcinatos annè resorbuit
Bellona plausus? vrbe Leonibus
Parata, victrices Gelono
Et spolijs redimire lauros.

Nondum triumphis tænia fibulat
Cristas comantes, Dacus & hosticis
Fremens Musurmani catastis
Inferias parat ire leto.

Ac iam recenti clade super memor
Fumare terris obuia suspicit
Et Russiæ parem ruinam
Sorte pari dolet ominatus.

Nec terna riuis ampliùs ostia
PROCHNICIANIS *exonerat latex,*
Letæa potus, & silenti
Post cineres taciturnus vmbra.

Aude inter orsus nil minùs æmulos
Late curuli nube per arduum
GROCHOVII *subuecta pompa*
Fama, tholos medioq; curru

Repone sacros: non humili iuuat
Tantos honorum prendier otio
Pediq; fasces. Hic tiaras
Celsa super posuisse colla

Circùm remotis audiat insulis,
Qui sceptra curuo poplite Rußicis
Adornat aruis, & Leonum
Præsuleas init vrbe pompas.

AGNVM *retortos subter acinaces,*
Et laxa fusis bella tonitruis
Videbit vniuersa secum
Rußia deposuisse pacem.

AGNVM *fluentis vberioribus*
Iunxisse riuos, audiet horrida
Cùm ponet optatum furori
Barbaries abitura finem.

I pone tantis omina fascibus.
I per Leones debite talibus.
Aude tiaras æmulari
Quas potuit tua sors mereri.